

ARTICULUS II. 309

Utrum resurrectio Christi sit causa resurrectionis animarum.

Locis sup. art. 1. notatis.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod resurrectio Christi non sit causa resurrectionis animarum. Dicit enim Augustinus super Jo. ann. (tract. xx. 1. ante med.) quod corpora resurgunt per dispensationem humanam, sed anime resurgunt per substantiam Dei. Sed resurrectio Christi non pertinet ad substantiam Dei, sed ad dispensationem humanam. Ergo resurrectio Christi non sit causa resurrectionis corporum, non tamen videtur esse causa resurrectionis animarum.

Præterea. Corpus non agit in spiritum. Sed resurrectio Christi pertinet ad corpus eius, quod cecidit per mortem. Ergo resurrectio Christi non est causa resurrectionis animarum.

Præterea. Quia resurrectio Christi est causa resurrectionis corporum, omnium corpora resurgunt, secundum illud I. ad Corinth. xv. 51. Omnes quidem resurgemus. Sed non omnium anime resurgunt: quia quidam ibunt in supplicium æternum, ut dicitur Matth. xxv. 46. Ergo resurrectio Christi non est causa resurrectionis animarum.

Præterea. Resurrectio animarum fit per remissionem peccatorum. Sed hoc factum est per Christi passionem, secundum illud Apoc. 1. 5. Lavimus te a peccatis nostris in sanguine suo. Ergo resurrectio animarum magis est causa Christi passio quam eius resurrectio.

Sed contra est quod Apostolus dicit Rom. 1v. 25. Resurrexit propter justificationem nostram, quæ nihil aliud est quam resurrectio animarum: & super illud Psalm. cxix. Ad vesperum demorabitur fetus, dicit Glossa quod, resurrectio Christi est causa resurrectionis nostræ, & anime in præsentem, & corporis in futuro.

Respondetur dicendum, quod, sicut dictum est (art. præc. ad 3.) resurrectio Christi agit in virtute divinitatis: quæ quidem se extendit non solum ad resurrectionem corporum, sed etiam ad resurrectionem animarum: à Deo enim est, & quod anima vivat per gratiam, & quod corpus vivat per animam. Et ideo resurrectio Christi habet instrumentaliter virtutem effectivam, non solum respectu resurrectionis corporum, sed etiam respectu resurrectionis animarum. Similiter etiam habet rationem exemplariatis respectu resurrectionis animarum: quia Christo resurgenti debemus etiam secundum animam conformari, ut sicut secundum

[a] Al. cum illo. Hæc posterior appendix implicite variis Apostoli locis continetur.

dum Apostolum Rom. vi. 4. Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris; ita & nos in novitate vite ambulemus: & sicut ipse resurgens ex mortuis jam non moritur; ita & nos existimemus nos mortuos esse peccato, ut iterum vivamus (a) in illo.

Ad primum ergo dicendum, quod Augustinus dicit, resurrectionem animarum fieri per Dei substantiam, quantum ad participationem, quia scilicet participando divinam bonitatem anime fiunt bone, & iustæ, non autem participando quamcumque creaturam. Unde cum dixisset: Anime resurgunt per substantiam Dei, subdit: Participatione enim Dei fit anima beata, non participatione anime sancte. Sed participando gloriam Corporis Christi, efficiuntur corpora nostra gloriosa.

Ad secundum dicendum, quod efficientia resurrectionis Christi pertingit ad animas, non per propriam virtutem ipsius corporis resurgentis, sed per virtutem divinitatis, cui personaliter unitur.

Ad tertium dicendum, quod resurrectio animarum pertinet ad meritum, quod est effectus justificationis; sed resurrectio corporum ordinatur ad penam, vel præmium, quæ sunt effectus iudicantis. Ad Christum autem non pertinet iustificare omnes, sed iudicare, & ideo omnes resuscitat secundum corpus, sed non omnes secundum animam.

Ad quartum dicendum, quod in justificatione animarum duo concurrunt, scilicet remissio culpæ, & novitas vitæ per gratiam. Quantum ergo ad efficientiam, quæ est per virtutem divinam, tam passio Christi, quam resurrectio est causa justificationis quoad utrumque. Sed quantum ad exemplaritatem proprie passio, & mors Christi est causa remissionis culpæ, per quam morimur peccato; resurrectio autem Christi est causa novitatis vitæ, quæ est per gratiam sive iustitiam: & ideo Apostolus dicit Rom. 1v. 25. quod traditus est, scilicet in mortem, propter delicta nostræ, scilicet tollenda; & resurrexit propter justificationem nostram. Sed passio Christi est etiam causa meritoria, ut dictum est (art. præc. ad 4.)

QUÆS.

QUÆSTIO LVII.

De Ascensione Christi,

in sex articulos divisâ.

Deinde considerandum est de Ascensione Christi: & circa hoc queruntur sex.

Primo, utrum fuerit conveniens Christum ascendere.

Secundo, secundum quam naturam conveniat sibi ascensio.

Tertio, utrum propria virtute ascenderit.

Quarto, utrum ascenderit super omnes cælos corporeos.

Quinto, utrum ascenderit super omnes spirituales creaturas.

Sexto, de effectu ascensionis.

ARTICULUS I. 310

Utrum fuerit conveniens Christum ascendere.

III. dist. xxii. quæst. 111. art. 1. & opusc. 11. cap. cxxl. & opusc. Lx. cap. xxiiii. princ.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod non fuerit conveniens Christum ascendere. Dicit enim Philosophus in II. de celo (text. 65. & 66.) quod illa quæ optimo modo se habent, possident suum bonum sine motu. Sed Christus optime se habuit: quia & secundum divinam naturam est summum bonum, & secundum humanam naturam est summe gloriosus. Ergo suum bonum habet sine motu. Sed ascensio est quidam motus. Ergo non fuit conveniens quod Christus ascenderet.

Præterea. Omne quod movetur, movetur propter aliquid melius. Sed Christo non fuit melius esse in Cælo quam in terra: nihil enim accrevit sibi per hoc quod fuit in cælo, neque quantum ad animam, neque quantum ad corpus. Ergo videtur quod Christus non deberet in cælum ascendere.

Præterea. Filius humanam naturam assumpsit ad nostram salutem. Sed magis fuisset salutare hominibus quod semper conversaretur nobiscum in terris: unde ipse dixit discipulis suis Luc. xvii. 22. Veniet dies, quando desideris videre unum diem Filii hominis, & non videbitis. Videtur ergo quod non fuerit conveniens Christum ascendere in cælum.

Præterea. Sicut Gregorius dicit XIV. Moral. (cap. xxix.) corpus Christi in nullo mutatum fuit post resurrectionem. Sed non immediate post resurrectionem ascendit in cælum: quia ipse dicit post resurrectionem Joan.

xx. 17. Nondum ascendi ad Patrem meum. Ergo videtur quod nec post quadraginta dies ascendere debuerit.

Sed contra est quod Dominus dicit Joann. xx. 17. Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum.

Respondetur dicendum, quod locus debet esse proportionatus locato. Christus autem per resurrectionem vitam immortalam, & incorruptibilem inchoavit. Locus autem in quo nos habitamus, est locus generationis, & corruptionis; sed locus cælestis est locus incorruptionis. Et ideo non fuit conveniens quod Christus post resurrectionem remaneret in terris; sed conveniens fuit quod ascenderet in cælum.

Ad primum ergo dicendum, quod illud optime se habens, quod sine motu possidet suum bonum, est ipse Deus, quia est omnino immutabilis, secundum illud Malac. 1. 11. 6. Ego Dominus, & non mutator. Quilibet autem creatura est mutabilis aliquo modo, ut patet per Augustinum VIII. super Gen. ad lit. (cap. xiv.) Et quia natura assumpta à Filio Dei remansit creatura, ut patet ex his quæ supra dicta sunt (quæst. 11. art. 1. & art. 7. ad 1.) non est inconveniens, si ei aliquis motus attribuat.

Ad secundum dicendum, quod per hoc quod Christus ascendit in cælum, nihil ei accrevit quantum ad ea quæ sunt de essentia gloriæ sive secundum corpus, sive secundum animam; tamen accrevit aliquid quantum ad loci decentiam, quod est ad bene esse gloriæ; non quod corpus ejus aliquid aut perfectionis, aut conservationis acquireret ex corpore cælesti; sed solummodo propter quandam decentiam. Hoc autem aliquo modo pertinebat ad ejus gloriam: & de hac decentia gaudium quoddam habuit, non quidem quod tunc de novo de hoc gaudere inciperet, quando in cælum ascendit, sed quia novo modo de hoc gavisus est, sicut de re impleta. Unde super illud Psalm. xv. Delectationis in dextera tua usque ad finem, dicit Glossa (ord. implic.) Delectatio, & lætitia erit mihi in consensu tuo, humanis obtutibus substracto.

Ad tertium dicendum, quod licet presentia corporalis Christi fuerit subtrahenda fidelibus per ascensionem, presentia tamen divinitatis ipsius semper adest fidelibus, secundum quod ipse dicit Matr. ult. 20. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. Qui enim ascendit in cælos non deservit adoptatus, ut Leo Papa dicit (serm. 11. de Resurrect. cap. 111. in fin.) Sed ipsa ascensio Christi in cælum, qua corporalem suam presentiam nobis subtraxit, magis fuit utilis nobis quam presentia corporalis fuisset. Primo quidem propter fidei augmentum, quæ est de non visis. Unde ipse Dominus dicit discipulis suis

Joan.

Respondeo dicendum, quod, sicut dictum est (art. 2. & 3. præc.) Christus dicitur sedere ad dexteram Patris, in quantum secundum naturam divinam est in æqualitate Patris; secundum autem humanam naturam in excellenti possessione divinorum bonorum præ ceteris aliis creaturis. Utrumque autem soli Christo convenit. Unde nulli alii nec Angelo, nec homini convenit sedere ad dexteram Patris, nisi soli Christo.

Ad primum ergo dicendum, quod quia Christus est caput nostrum, illud quod collatum est Christo, est etiam nobis in ipso collatum. Et propter hoc quia ipse jam resuscitatus est, dicit Apostolus, quod Deus nos quodammodo ei consecravit, qui tamen in nobis ipsis nondum sumus resuscitati, sed resuscitandi, secundum illud Rom. VIII. 11. *Qui suscitavit Jesum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora nostra*: & secundum eundem modum loquendi subdit Apostolus, quod confedere nos fecit in cælestibus, scilicet in hoc ipso quod caput nostrum, quod est Christus, ibi sedet.

Ad secundum dicendum, quod quia dextera est divina beatitudo, sedere in dextera non significat simpliciter esse in beatitudine, sed habere beatitudinem cum quadam dominativa potestate, & quasi propriam, & naturalem: quod soli Christo convenit, nulli autem alii creature. Potest tamen dici, quod omnis Sanctus qui est in beatitudine, est ad dexteram Dei constitutus: unde & dicitur Math. xxv. 33. *quod statuet oves à dextris*.

Ad tertium dicendum, quod per thronum significatur judiciaria potestas, quam Christus habet à Patre; & secundum hoc dicitur sedere in throno Patris. Alii autem Sancti habent eam à Christo; & secundum hoc dicuntur in throno Christi sedere, secundum illud Math. xix. 28. *Sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel*.

Ad quartum dicendum, quod, sicut Chrysostomus dicit super Math. (hom. LXXI. inter princ. & med.) „locus ille, id est concinnum sedis, & libri aperti sunt. Sed antiquus dierum intelligitur Pater: quia, ut Hilarius dicit (Lib. II. de Trin. circ. princ.) in Patre est æternitas. Ergo judiciaria potestas magis est attribuenda Patri quam Christo.

3. Præterea. Eiusdem videtur esse judicare cuius est arguere. Sed arguere pertinet ad Spiritum Sanctum: dicit enim Dominus Joan. xvi. 8. *Cum autem venerit ille, scilicet Spiritus Sanctus, arguet mundum de peccato, & de justitia, & de judicio*. Ergo judiciaria potestas magis debet attribui Spiritui Sancto quam Christo.

Potest tamen dici, quod petebant filii Zebedæi excellentiam habere præ aliis in participando judiciariam potestatem ejus: unde non petebant quod sederent ad dexteram, vel

sinistram Patris, sed ad dexteram, vel sinistram Christi.

QUÆSTIO LIX.

De judiciaria potestate Christi, in sex articulos divisa.

Deinde considerandum est de judiciaria potestate Christi: & circa hoc quaeruntur sex.

Primo, utrum judiciaria potestas sit attribuenda Christo.

Secundo, utrum conveniat sibi, secundum quod est homo.

Tertio, utrum eam fuerit ex meritis adeptus.

Quarto, utrum ejus potestas judiciaria sit universalis respectu omnium hominum.

Quinto, utrum præter judicium quod agit in hoc tempore, sit expectandum aliquid universale judicium futurum per ipsum.

Sexto, utrum ejus judiciaria potestas etiam ad Angelos se extendat.

De executione autem finalis iudicii convenientius agitur, cum considerabimus de his quæ pertinent ad finem mundi (in Supplement. q. lxxxviii. & seq.) nunc autem sufficit ea sola tangere quæ pertinent ad Christi dignitatem.

ARTICULUS I. 320

Utrum judiciaria potestas sit specialiter Christo attribuenda.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod judiciaria potestas non sit specialiter attribuenda Christo. Judicium enim aliquorum videtur pertinere ad dominum: unde dicitur Rom. xiv. 4. *Tu quis es, qui iudicas alienum servum?* Sed esse dominum creaturarum, est commune toti Trinitati. Non ergo specialiter debet attribui Christo judiciaria potestas.

2. Præterea. Danielis vii. 9. dicitur: *Antiquus dierum sedit: & postea subditur: iudicium sedit, & libri aperti sunt*. Sed antiquus dierum intelligitur Pater: quia, ut Hilarius dicit (Lib. II. de Trin. circ. princ.) in Patre est æternitas. Ergo judiciaria potestas magis est attribuenda Patri quam Christo.

3. Præterea. Eiusdem videtur esse judicare cuius est arguere. Sed arguere pertinet ad Spiritum Sanctum: dicit enim Dominus Joan. xvi. 8. *Cum autem venerit ille, scilicet Spiritus Sanctus, arguet mundum de peccato, & de justitia, & de judicio*. Ergo judiciaria potestas magis debet attribui Spiritui Sancto quam Christo.

Sed

(a) Al. suspitioni; sic tamen posteriores mss. & editi passim

Sed contra est quod dicitur Act. x. 42. de Christo: *Hic est qui constitutus est à Deo: iudex vivorum, & mortuorum*.

Respondeo dicendum, quod ad iudicium faciendum tria requiruntur. Primo quidem potestas subditos coercendi: unde dicitur Eccli. vii. 6. *Noli quærere fieri iudex, nisi valeas virtute trumpsere iniquitates*. Secundo requiritur rectitudinis zelus, ut scilicet aliquis non ex odio, vel livore, sed ex amore justitiæ iudicium proferat, secundum illud Proverb. xii. 12. *Quem enim diligit Dominus, corrigit, & quasi pater in filio complacet sibi*. Tertio requiritur sapientia, secundum quam formatur iudicium: unde dicitur Eccli. x. 1. *Iudex sapiens iudicabit populum suum*. Prima autem duo præxiunguntur ad iudicium; sed proprie tertium est, secundum quod accipitur forma iudicii: quia ipsa ratio iudicii est lex sapientiæ, vel veritatis, secundum quam iudicatur. Et quia Filius est sapientia genita, & veritas à Patre procedens, & ipsum perfecte representans, ideo proprie judiciaria potestas attribuitur Filio Dei. Unde Augustinus dicit in Lib. de vera religione (cap. xxxi.) „Hæc est incommuni, tabilis illa veritas, quæ lex omnium artium, recte dicitur, & ars omnipotentis artificis. Ut autem nos, & omnes anime rationales, les secundum veritatem de inferioribus recte te iudicamus; sic de nobis, quando eidem coheremus, sola ipsa veritas iudicat: de ipsa vero nec Pater: non enim minor est, quam ipse. Et ideo quæ Pater iudicat, per ipsam iudicat. Et postea concludit: „Pater ergo non iudicat quemquam, sed omne, ne iudicium dedit Filio.“

Ad primum ergo dicendum, quod ex illa ratione probatur quod judiciaria potestas sit communis toti Trinitati, quod verum est; sed tamen per quandam appropriationem judiciaria potestas attribuitur Filio, ut dictum est (in corp.)

Ad secundum dicendum, quod, sicut Augustinus dicit in VI. de Trinit. (cap. x. circ. princ.) Patri attribuitur æternitas propter commendationem principii, quod importatur in ratione æternitatis. Ibidem etiam Augustinus dicit, quod Filius est ars Patris. Sic igitur auctoritas iudicandi attribuitur Patri, in quantum est principium Filii; sed ipsa ratio iudicii attribuitur Filio, qui est ars, & sapientia Patris, ut scilicet sicut Pater facit omnia per Filium, in quantum est ars ejus, ita etiam iudicat omnia per Filium, in quantum est sapientia, & veritas ejus. Et hoc significatur in Daniele, ubi primo dicitur, quod antiquus dierum sedit: & postea subditur, quod filius hominis pervenit usque ad antiquum dierum, & dedit ei potestatem, & honorem, &

regnum: per quod datur intelligi quod auctoritas iudicandi est apud Patrem, à quo Filius accepit potestatem iudicandi.

Ad tertium dicendum, quod, sicut Augustinus dicit super Joan. (tract. xcy. inter princ. & med.) „ita dixit Christus, quod Spiritus Sanctus arguet mundum de peccato, tamquam diceret, Ille diffundit in cordibus vestris caritatem: sic enim timore, depulso, arguendi habebitis libertatem.“ Sic ergo Spiritui Sancto attribuitur iudicium non quantum ad iudicii rationem, sed quantum ad affectum iudicandi quem homines habent.

ARTICULUS II. 321

Utrum judiciaria potestas conveniat Christo, secundum quod est homo.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod judiciaria potestas non conveniat Christo, secundum quod est homo. Dicit enim Augustinus in Lib. de vera religione (implic. cap. xxxi.) quod iudicium attribuitur Filio in quantum est ipsa lex primæ veritatis. Sed hoc pertinet ad Christum, secundum quod est Deus. Ergo judiciaria potestas non convenit Christo, secundum quod est homo, sed secundum quod est Deus.

2. Præterea. Ad judiciariam potestatem pertinet præmiare bene agentes, sicut & punire malos. Sed præmium bonorum operum est beatitudo æterna, quæ non datur nisi à Deo: dicit enim Augustinus super Joan. (tract. xxi. inter princ. & med.) quod participatione Dei fit anima beata, non autem participatione anime sanctæ. Ergo videtur quod judiciaria potestas non conveniat Christo, secundum quod est homo, sed secundum quod est Deus.

3. Præterea. Ad judiciariam Christi potestatem pertinet iudicare occulta cordium, secundum illud I. ad Corinth. iv. 5. *Nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit confusa cordium*. Sed hoc pertinet ad solam virtutem divinam, secundum illud Hierem. xviii. 9. *Pravum est (a) cor hominis, & inscrutabile: quis cognoscat illud? ego Dominus scrutans corda, & probans renes, & qui do unicuique iuxta viam suam*. Ergo judiciaria potestas non convenit Christo, secundum quod est homo, sed secundum quod est Deus.

Sed contra est quod dicitur Joan. v. 27. *Potestatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis est*.

Respondeo dicendum, quod Chrysostomus super Joan. (hom. xxxviii. parum ante med.) sentit videtur, quod judiciaria potestas non convenit Christo, secundum quod est homo.

(a) Vulgata cor omnium.

ad animam beatam, quod, sicut Augustinus dicit XXII. de Civit. Dei (cap. ult. parum à princ.) ubi volat spiritus, ibi proximus erit corpus; nec volat aliquis spiritus, quod nec spiritum possit dicere, nec corpus. Decet autem corpus possit dicere, & immortale esse in loco celesti, sicut dictum est (art. 1. hujus quæst.) Et ideo ex virtute animæ volentis, corpus Christi ascendit in cælum. Sicut autem corpus efficitur gloriosum participatione animæ, ita, ut Augustinus dicit super Joann. (tract. XXI. inter princ. & med.) participatione Dei fit anima beata. Unde prima origo ascensionis in cælum est virtus divina.

Sic igitur Christus ascendit in cælum propria virtute, primo quidem virtute divina, secundo virtute animæ glorificatæ moventis corpus, prout videtur.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut Christus dicitur propria virtute surrexisse, & tamen est suscitatus à Patre, eo quod eadem est virtus Patris, & Filii; ita etiam Christus ex propria virtute ascendit in cælum, & tamen à Patre est elevatus, & assumptus.

Ad secundum dicendum, quod ratio illa probat quod Christus non ascendit in cælum propria virtute, quæ est naturæ humanæ naturalis; ascendit tamen in cælum propria virtute, quæ est virtus divina, & propria virtute quæ est animæ beatæ. Et licet ascendere sursum sit contra naturam humani corporis secundum statum præsentem, in quo corpus non est omnino subiectum spiritui; tamen non est contra naturam, neque violentum corpori glorioso, cuius tota natura est omnino subiecta spiritui.

Ad tertium dicendum, quod etsi virtus divina sit infinita, & infinite operetur, quantum est ex parte operantis; tamen effectus virtutis ejus recipitur in rebus secundum earum capacitatem, & secundum Dei dispositionem. Corpus autem non est capax ut in instanti localiter moveatur: quia oportet quod commutetur se spatio, secundum cujus divisionem dividitur tempus, ut dicitur VI. Physic. (text. 36. & seq.) Et ideo non oportet quod corpus motum à Deo moveatur in instanti, sed moveatur ea velocitate qua Deus disponit.

Ad quartum dicendum, quod ratio illa probat quod Christus non ascendit in cælum propria virtute, quæ est naturæ humanæ naturalis; ascendit tamen in cælum propria virtute, quæ est virtus divina, & propria virtute quæ est animæ beatæ. Et licet ascendere sursum sit contra naturam humani corporis secundum statum præsentem, in quo corpus non est omnino subiectum spiritui; tamen non est contra naturam, neque violentum corpori glorioso, cuius tota natura est omnino subiecta spiritui.

ARTICULUS IV.

Utrum Christus ascenderit super omnes cælos.

III. dist. XXI. quæst. 1. art. 3. quæst. 1. & IV. contr. caps. LXXXVII. & epistol. vii. cap. IX.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod Christus non ascenderit super omnes cælos. Dicitur enim in Psalm. xi. Dominus in templo sancto suo, Dominus in cælo sedes ejus, Quod autem est in cælo, non est supra cælum. Ergo Christus non ascendit super omnes cælos.

2. Præterea. Super omnes cælos non est aliquis locus, ut probatur in I. de Cælo (text. 69.) Sed omne corpus oportet esse in loco. Ergo corpus Christi non ascendit super omnes cælos.

3. Præterea. Duo corpora non possunt esse in eodem loco. Cum igitur non sit transitus de extremo in extremum nisi per medium, videtur quod Christus non potuisset ascendere super omnes cælos, nisi cælum dividiret: quod est impossibile.

4. Præterea. Ad. 1. 9. dicitur, quod nubes suscepit eum ab oculis eorum. Sed nubes non possunt elevari super cælum. Ergo Christus non ascendit super omnes cælos.

5. Præterea. Ibi credimus Christum in perpetuum permanurum, quo ascendit. Sed quod contra naturam est, non potest esse sempiternum: quia in eo quod est secundum naturam, est ut in pluribus, & ut frequentius. Cum ergo contra naturam sit corpori terreno esse supra cælum, videtur quod corpus Christi supra cælum non ascenderit.

Sed contra est quod dicitur Ephes. iv. Ascendit super omnes cælos, ut adimplet omnia.

Respondeo dicendum, quod quanto aliqua corpora perfectius participant bonitate divinam, tanto sunt superiora corporali ordine, qui est ordo localis. Unde videmus quod corpora que sunt magis formalia, sunt naturaliter superiora, ut patet per Philosophum in IV. Physic. (implic. text. 43. & seq.) & in II. de Cælo (text. 30.) per formam enim unumquodque corpus participat divinum esse, ut patet in I. Physic. (text. 81.) Plus autem participat de divina bonitate corpus per gloriam, quam quodcumque corpus naturale per formam suæ naturæ; & inter cætera corpora gloriosa manifestum est quod corpus Christi majori resulget gloria. Unde convenientissimum est ei quod sit supra omnia corpora constitutum in alto. Et ideo super illud Ephes. iv. Ascendens in altum, dicit Glossa (interl.) Locum, & dignitate.

Ad primum ergo dicendum, quod sedes Dei dicitur esse in cælo, non sicut in continente, sed magis sicut in contento. Unde non oportet aliquam partem cæli eo superiorem esse, sed ipsum esse super omnes cælos; sicut & in Psalm. vii. 3. dicitur: Elevata est magnificentia tua super cælum, Deus.

Ad secundum dicendum, quod locus habet rationem continentis: unde primum continens habet rationem primi locantis, quod est primum cælum. Intantum igitur corpora indigent esse in loco per se, inquantum indigent contineri à corpore celesti. Corpora autem gloriosa, & maxime corpus Christi non indiget tali continentia: quia nihil recipit à corporibus celestibus, sed à Deo mediante anima. Unde nihil prohibet corpus Christi esse extra totam continentiam caelestium corporum, & non esse in loco continente. Nec tamen oportet quod extra cælum sit vacuum: quia non est ibi locus, nec est ibi aliqua potentia susceptiva alicujus corporis, sed potentia illuc perveniendi est in Christo. Quod autem Aristoteles probat I. de cælo, quod extra cælum non est corpus, intelligendum est de corporibus in solis naturalibus constitutis, ut per probationes apparet.

Ad tertium dicendum, quod quamvis de natura corporis non sit quod possit esse in eodem loco cum aliquo corpore; tamen potest hoc Deus facere per miraculum, quod in eodem loco (a) possit esse simul cum alio corpore; sicut & fecit, ut corpus Christi de clauso utero B. Virginis exiret, & quod intravit januis clausis ad discipulos, sicut dicit B. Gregorius (hom. xxvi. in Evan. à princ.) Corpus ergo Christi simul potest esse cum alio corpore in eodem loco, non ex proprietate corporis, sed per virtutem divinam assistentem, & hoc operantem.

Ad quartum dicendum, quod nubes illa non prebit administrum Christo ascendenti per modum vehiculi; sed apparuit in signum Divinitatis, secundum quod gloria Dei Israel apparebat super tabernaculum in nube.

Ad quintum dicendum, quod corpus gloriosum non habet ex principiis suæ naturæ quod possit in cælo, aut supra cælum esse; sed habet hoc ex anima beata, ex qua recipit gloriam; & sicut motus gloriosi corporis sursum non est violentus; ita nec quietes est violenta: unde nihil prohibet eam esse sempiternam.

S. Th. Op. Tom. V.

(a) Ita communiter Cod. Alcan. possint esse duo corpora.

Utrum corpus Christi ascenderit super omnem creaturam spirituales.

Infr. quæst. LVIII. art. 3. corp. & P. VIII. fin. & Ep. 1. l. 7. fin.

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod corpus Christi non ascenderit super omnem creaturam spirituales. Eorum enim quæ non dicuntur secundum unam rationem, non potest convenienter fieri comparatio. Sed locus non eadem ratione attribuitur corporalibus, & spiritualibus creaturis, ut patet ex his quæ dicta sunt in I. Part. (quæst. LIII.) Ergo videtur quod non possit dici corpus Christi ascendisse super omnem creaturam spirituales.

2. Præterea, Augustinus dicit in Lib. de vera relig. (cap. lv. aliquant. à princ.) quod omni corpori spiritus præferitur. Sed nobiliori rei sublimior debetur locus. Ergo videtur quod Christus non ascenderit super omnem spirituales creaturam.

3. Præterea. In omni loco est aliquod corpus, cum nihil sit vacuum in natura. Si ergo nullum corpus obtinet altiore locum quam spiritus in ordine naturalium corporum, nullus locus erit super omnem spirituales creaturam. Non ergo corpus Christi potest ascendere super omnem spirituales creaturam.

Sed contra est quod dicitur Ephes. i. 21. Constituit illum supra omnem principatum, & potestatem, & supra omne nomen quod nominatur sive in hoc seculo, sive in futuro.

Respondeo dicendum, quod tanto alicui rei debetur altior locus, quanto est nobilior sive debeatur ei locus per modum contactus corporalis, sicut corporibus; sive per modum contactus spiritualis, sicut spiritualibus substantiis: exinde enim spiritualibus substantiis debetur secundum quandam congruentiam locus celestis, qui est supremus locorum, quia illæ substantiæ sunt supremæ in ordine substantiarum. Corpus autem Christi, licet considerando condiciones naturæ corporeæ sit infra spirituales substantias; considerando tamen dignitatem unionis, qua est personaliter Deo conjunctum, excellit dignitatem omnium spiritualium substantiarum. Et ideo secundum prædictæ congruentie rationem debetur ei locus altior locum omnem creaturam etiam spirituales. Unde & Gregorius dicit in hom. Ascensionis (xxix. in Evang. circ. med. quod qui fecerat omnia, super omnia sua virtute selevatur.

Ad primum ergo dicendum, quod licet alia ratione attribuat locus corporali, &

Re

Ad primum ergo dicendum, quod licet alia ratione attribuat locus corporali, &

spirituali substantiæ; tamen hoc est in utraque ratione comune quod digniori rei attribuitur superior locus.

Ad secundum dicendum, quod ratio illa procedit de corpore Christi secundum conditionem naturæ corporæ, non autem secundum rationem unionis.

Ad tertium dicendum, quod comparatio ista potest attendi vel secundum rationem locorum, & sic nullus locus est tam altus qui excedat dignitatem spirituales substantiæ, secundum quod procedit objectio: vel secundum dignitatem eorum quibus attribuitur locus; & sic corpori Christi debetur ut sit supra spirituales creaturas.

ARTICULUS VI.

315

Utrum ascensio Christi sit causa nostræ salutis.

AD sextum sic proceditur. Videtur quod ascensio Christi non sit causa nostræ salutis. Christus enim fuit causa nostræ salutis, in quantum salutem nostram meruit. Sed per ascensionem nihil nobis meruit: quia ascensio pertinet ad præmium exaltationis ejus: non est autem idem meritum, & præmium, sicut nec via, & terminus. Ergo videtur quod ascensio Christi non sit causa nostræ salutis.

2. Præterea. Si ascensio Christi est causa nostræ salutis, maxime hoc videtur quantum ad hoc quod ascensio ejus sit causa nostræ ascensionis. Sed hoc collatum est nobis per ejus passionem: quia, ut dicitur Heb. x. 19. *habemus fiduciam in introitu sanctorum per sanguinem ipsius.* Ergo videtur quod ascensio Christi non fuerit causa nostræ salutis.

3. Præterea. Salus nobis per Christum collata est sempiterna, secundum illud. Isa. lvi. 6. *Salus autem mea in sempiternum erit.* Sed Christus non ascendit in cælum, ut ibi in sempiternum esset: dicitur enim act. 1. 11. *Quemadmodum vidistis eum ascendentem in cælum, ita vidistis eum legitur etiam, multis Sanctis se demonstrasse in terris post suam ascensionem, sicut de Paulo legitur Act. ix. Ergo videtur quod ejus ascensio non sit causa nostræ salutis.*

Sed contra est quod ipse dicit Joan. xvi. 7. *Expedit vobis ut ego vadam, id est ut recedam a vobis per ascensionem.*

Respondetur dicendum, quod ascensio Christi est causa nostræ salutis dupliciter: uno modo ex parte nostrâ; alio modo ex parte ipsius. Ex parte quidem nostrâ, in quantum per Christi ascensionem mens nostra movetur in ipsum: quia per ejus ascensionem, sicut supra dictum est (art. 1. huj. quæst. ad 3.) primo quidem datur locus fidei; secundo spei; tertio caritati; quarto etiam per hoc reverentia nostra augetur

ad ipsum, dum jam non existimamus eum sicut in hominem terrenum, sed sicut Deum celestem, sicut & Apostolus dicit II. ad Corinth. v. 16. *Esti cognovimus secundam carnem Christum, id est, mortalem, per quod putavimus eum tantum hominem, ut Glossa (ord. & interl. Petri Lomb.) exponit; sed nunc jam non cognovimus.* Ex parte autem sua, quantum ad ea quæ ipse fecit, ascendens propter nostram salutem, primo quidem viam nobis præparavit ascendendi in cælum, secundum quod ipse dicit Joan. xiv. 2. *Vado parare vobis locum;* & Mich. 11. 13. *Ascendit pandens iter ante eos.* Quia enim ipse est caput nostrum, oportet illuc sequi membra quo caput præcessisset. Unde dicitur Joan. xiv. 3. *Ut ubi ego sum, & vos stitis.* Et in hujus signum animas Sanctorum, quas de inferno eduxerat, in cælum tradidit, secundum illud Psal. lxxvii. 17. *Ascendens Christus in altum, captivam duxit captivitatem,* (Ephes. 1v. 8. quia scilicet eos qui fuerant à diabolo captivati, secum duxit in cælum; quasi in locum peregrinum humanæ naturæ, bona captione captivos, utpote per victoriam acquisitos. Secundo quia sicut Pontifex in veteri Testamento intrabat sanctuarium, ut assisteret Deo pro populo; ita & Christus intravit cælum ad interpellandum pro nobis, ut dicitur Heb. vii. Ipsa enim representatio sui ex natura humana, quam in cælum intulit, est quædam interpellatio pro nobis; ut ex quo Deus humanam naturam sic exaltavit in Christo, etiam eorum miseretur pro quibus Filius Dei humanam naturam assumpsit. Tertio ut in cælorum sede quasi Deus, & Dominus constitutus, exinde divina dona hominibus mitteret, secundum illud Ephes. 1v. 10. *Ascendit super omnes cælos, ut adimplet omnia, scilicet, donis suis, secundum Glossam (interl.)*

Ad primum ergo dicendum, quod ascensio Christi est causa nostræ salutis, non per modum meriti, sed per modum efficientiæ, sicut supra de resurrectione dictum est (quæst. præc. art. 1.)

Ad secundum dicendum, quod passio Christi est causa nostræ ascensionis in cælum proprie loquendo, per remotionem peccati prohibentis, & per modum meriti; ascensio autem Christi est directè causa ascensionis nostræ, quasi inchoando ipsam in capite nostro, cui oportet membra conjungi.

Ad tertium dicendum, quod Christus semel ascendens in cælum adeptus est sibi, & nobis in perpetuum jus, & dignitatem mansionis celestis: cui tamen dignitati non derogat, si ex aliqua dispensatione Christus quandoque corporaliter ad terram descendat; vel ut ostendat se omnibus, sicut in iudicio; vel ut ostendat se alicui specialiter, sicut Paulo,

ut

ut habetur Act. ix. Et ne quis credat hoc factum fuisse non Christo ibi corporaliter presente, sed aliquoties apparente, contrarium apparet per hoc quod ipse Apostolus dicit I. ad Cor. xv. 8. ad confirmandam resurrectionis fidem: *Novissime omnium, tamquam abortivo, visus est, & mihi.* Quæ quidem visio veritatem resurrectionis non probaret, nisi ipsam verum Christi corpus visum fuisset ad eos.

QUÆSTIO LVIII.

De sessione Christi ad dexteram Patris,

in quatuor articulis divisâ.

Einde considerandum est de sessione Christi ad dexteram Patris: & circa hoc queruntur quatuor.

Primo, utrum Christus sedeat ad dexteram Dei Patris.

Secundo, utrum hoc conveniat sibi secundum divinam naturam.

Tercio, utrum conveniat sibi secundum humanam naturam.

Quarto, utrum hoc sit proprium Christi.

ARTICULUS I.

316

Utrum Christo conveniat sedere ad dexteram Dei Patris.

III. dist. xxxii. quæst. 11. art. 3. quæst. 2. & opposit. 11. cap. cxxl. & op. vi. cap. ix. & ad Heb. viii. lect. 1.

AD primum sic proceditur. Videtur quod Christo non conveniat sedere ad dexteram Dei Patris. Dextera enim, & sinistra sunt differentie positionum corporalium. Sed nihil corporale convenit Deo, quia *Deus spiritus est*, ut habetur Joan. iv. 24. Ergo videtur quod Christus non sedeat ad dexteram Patris.

2. Præterea. Si aliquis sedet ad dexteram alicujus, ille sedet ad sinistram ejus. Si ergo Christus sedet ad dexteram Patris, sequitur quod Pater sedeat ad sinistram Filii: quod est inconveniens.

3. Præterea. Sedere, & stare videntur oppositionem habere. Sed Stephanus dicit Act. vii. 55. *Eccce video cælos apertos, & Filium hominis stantem ad dexteram virtutis Dei.* Ergo videtur quod Christus non sedeat ad dexteram Patris.

Sed contra est quod dicitur Marci ult. 19. *Dominus quidem Jesus, postquam locutus esset, ascendit in cælum, & sedet à dextris Dei.*

Respondetur dicendum, quod in nomine sessionis possumus duo considerare: videlicet

S. Tb. Op. Tom. V.

quietem, secundum illud Luc. ult. 49. *Sedete hic in civitate, & etiam regiam, vel judicariam potestatem, secundum illud Proverb. xx. 8. Rex qui sedet in solio iudicii, dissipat omne malum introitu suo.* Utrouque ergo modo Christo convenit sedere ad dexteram Patris. Uno quidem modo, in quantum generaliter manet incorruptibilis in beatitudine Patris, quæ ejus dextera dicitur, secundum illud Psal. xv. 10. *Delectationem in dextera tua usque in finem.* Unde Augustinus dicit in Libro I. de Symbolo (cap. 1v. in princ.) *Sedet ad dexteram Patris. Sedere, habitare, intelligite, quomodo dicimus de quocumque homine. In illa patria solus per tres annos. Sic ergo creditur Christum habitare in dextera Dei Patris: beatus enim est & ipse beatitudinis nomen est dextera Patris.* Alio modo dicitur Christus sedere in dextera Dei Patris, in quantum Patri conregnare, & ab eo habet judicariam potestatem; sicut ille qui confidet Regi ad dexteram, assistet ei in regnando, & iudicando. Unde Augustinus dicit in alio serm. de Symbolo (Lib. II. cap. viii. à princ.) *Ipsam dexteram intelligite potestatem, quam accepit ille homo susceptus à Deo, ut veniat iudicatus qui prius venerat iudicandus.*

Ad primum ergo dicendum, quod sicut Damascenus dicit in IV. Lib. (orth. Fid. cap. 11.) non locum dexteram Patris dicimus: quia licet enim qui incircumscriptibilis est, locum adimpletur dexteram? Dextera enim, & sinistra eorum quæ circumscribuntur, sunt. Dextera autem Patris dicimus gloriam, & honorem Divinitatis.

Ad secundum dicendum, quod ratio illa procedit, secundum quod sedere ad dexteram intelligitur corporaliter. Unde Augustinus dicit in quodam sermone de Symbolo (scilicet Lib. I. cap. 1v. ante med.) *Si carnaliter acceperimus quod Christus sedet ad dexteram Patris, ille erit ad sinistram, ibi autem, scilicet eterna beatitudine, omnis dextera est, quia nulla est ibi miseria.*

Ad tertium dicendum, quod, sicut Gregorius dicit in hom. Ascendit, (xxix. in Evang. à med.) *sedere iudicans est, stare vero pugnantis, vel adjuvantis. Stephanus ergo in labore certaminis positus, stantem vidit, quem adiutorem habuit. Sed hunc post ascensionem Marcus sedere describit, quia post ascensionis sue gloriam iudex in hunc videbitur.*

Re a AR.

ARTICULUS II. 256

Utrum sedere ad dexteram Patris conveniat Christo, secundum quod est Deus.

Heb. 1. lect. 3. & lect. 6. princ. & cap. IX. lect. 8. & cap. X. lect. 1.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod sedere ad dexteram Patris non conveniat Christo, secundum quod est Deus. Christus enim, secundum quod est Deus, est dexteram Patris. Sed non videtur idem esse dexteram alicuius, & ille qui sedet ad dexteram eius. Ergo Christus, secundum quod est Deus, non fedet ad dexteram Patris.

2. Præterea. Marci ult. 19. dicitur, quod *Domini Jhesu assumptus est in cælum, & sedet à dextris Dei.* Christus autem non est assumptus in cælum, secundum quod Deus. Ergo etiam neque secundum quod Deus sedet à dextris Dei.

3. Præterea. Christus, secundum quod Deus, est æqualis Patri, & Spiritui Sancto. Ergo si Christus, secundum quod Deus, sedet ad dexteram Patris, pari ratione Spiritus Sanctus sedebit ad dexteram Patris, & Filius, & ipse Pater ad dexteram Filii, & Spiritus Sanctus: quod nusquam invenitur.

Sed contra est quod Damascenus dicit (Lib. IV. orthod. Fid. cap. 11.) quod dexteram Patris dicimus gloriam, & honorem Divinitatis, in qua Filius Dei exiit ante sæcula ut Deus, & Patri consubstantialis.

Respondeo dicendum, ut ex prædictis patet (art. præc.) nomine dexteræ tria intelligi possunt: uno modo, secundum Damascenum *gloria Divinitatis*; alio modo, secundum Augustinum (Lib. cont. serm. Arrian. cap. xii. & Lib. I. de Symb. cap. iv.) *beatitudo Patris*; tertio modo, secundum eundem (Ibid. & sup. Psalm. cix.) *judiciaria potestas*. Sæcio autem, ut dictum est (art. præc.) vel habitationem, vel regiam, seu judiciariam dignitatem designat. Unde sedere ad dexteram Patris, nihil aliud est quam simul cum Patre habere gloriam Divinitatis, & beatitudinem, & judiciariam potestatem, & hoc immutabiliter, & regaliter. Hoc autem convenit Filio Dei, secundum quod est Deus. Unde manifestum est quod Christus, secundum quod Deus, sedet ad dexteram Patris; ita tamen quod hæc præpositio ad, quæ transitiva est, solam distinctionem personale importat, & originis ordinem, non autem gradum naturæ, vel dignitatis, qui nullus est in divinis personis, ut in prima parte habitum est (quæst. xlii.).

Ad primum ergo dicendum, quod Filius Dei dicitur dexteram Patris appropriate, per mo-

dum quo etiam dicitur virtus Patris; sed dexteram Patris, secundum tres significaciones prædictas, est aliquid commune tribus personis.

Ad secundum dicendum, quod Christus, secundum quod homo, est assumptus ad divinum honorem, qui in prædicta sessione designatur; sed tamen ille honor divinus convenit Christo, in quantum est Deus, non per aliquam assumptionem, sed per æternam originem.

Ad tertium dicendum, quod nullo modo potest dici, quod Pater sedeat ad dexteram Filii, vel Spiritus Sancti: quia Filius, & Spiritus Sanctus trahunt originem, à Patre, & non è converso. Sed Spiritus Sanctus proprie potest dici sedere ad dexteram Patris, vel Filii, secundum sensum prædictum; licet secundum quandam appropriationem attribuitur Filio, cui appropriatur æqualitas, sicut dicit Augustinus (Lib. I. de doct. christ. cap. v. in fin.) quod *in Patre est unitas, in Filio æqualitas, in Spiritu Sancto unitas, æqualitatisque connexio.*

ARTICULUS III. 318

Utrum sedere ad dexteram Patris conveniat Christo secundum quod homo.

Locis sup. inductis.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod sedere ad dexteram Patris non conveniat Christo, secundum quod est homo. Ut enim Damascenus dicit (Lib. IV. orth. Fid. cap. 11.) *dexteram Patris dicimus gloriam & honorem Divinitatis.* Sed honor, & gloria Divinitatis non convenit Christo, secundum quod est homo. Ergo videtur quod Christus, secundum quod homo, non sedeat ad dexteram Patris.

2. Præterea. Sedere ad dexteram regnantis subjectionem excludere videtur: quia qui sedet ad dexteram regnantis, quoddammodo illi conregnat. Christus autem, secundum quod homo, est subiectus Patri, ut dicitur I. ad Cor. xv. Ergo videtur quod Christus, secundum quod homo, non sit ad dexteram Patris.

3. Præterea. Rom. vii. super illud, *Qui est ad dexteram Dei*, exponit Glossa (interl. & ord. Ambros.) idem, æqualis Patri in honore, re, quo Deus Pater est: "vel ad dexteram Patris, idest, in posterioribus bonis Dei." Et super illud Heb. 1. *Sedet ad dexteram maiestatis in excelsis*, Glossa (interl.) idem ad æqualitatem Patris super omnia, & loco, & dignitate. "Sed esse æqualem Deo non convenit Christo, secundum quod est homo: nam secundum hoc ipse dicit Joan. xiv. 28. *Pater major me est.* Ergo videtur quod sedere

ad dexteram Patris non conveniat Christo, secundum quod est homo.

Sed contra est quod Augustinus dicit in sermone de Symbolo (scilicet Lib. II. de Symbolo cap. vii. à princ.) *Ipsam dexteram intellexit potestatem quem accepit ille homo susceptus à Deo, ut veniat iudicaturus, qui prius venerat iudicandus.*

Respondeo dicendum, quod, sicut dictum est (art. præc.) nomine dexteræ Patris intelligitur, vel ipsa gloria Deitatis ipsius, vel beatitudo æterna eius, vel potestas judiciaria, & regalis. Hæc autem præpositio ad quandam accessum ad dexteram designat; in quo designatur convenientia cum quadam distinctione, ut supra dictum est (art. præc.) Quod quidem potest esse tripliciter. Uno modo, ut sit convenientia in natura, & distinctio in persona: & sic Christus, secundum quod Filius Dei, sedet ad dexteram Patris, quia habet eandem naturam cum Patre: unde prædicta conveniunt essentialiter Filio, sicut & Patri; & hoc est esse in æqualitate Patris. Alio modo secundum gratiam unionis, quæ importat è converso distinctionem naturæ, & unitatem persone. Et secundum hoc Christus, secundum quod homo, est Filius Dei, & per consequens sedens ad dexteram Patris; ita tamen quod ly *secundum quod* non designet conditionem naturæ, sed unitatem suppositi, ut supra dictum est (quæst. xvi. art. 10.) Tertio modo potest prædictus accessus intelligi secundum gratiam habitualement, quæ abundantior est in Christo præ omnibus aliis creaturis, in quantum quod ipsa natura humana in Christo est beator ceteris creaturis, & super omnes alias creaturas habens regiam, & judiciariam potestatem.

Sic igitur si ly *secundum quod* designet conditionem naturæ, Christus, secundum quod Deus, sedet ad dexteram Patris, idest in æqualitate Patris; secundum autem quod homo, sedet ad dexteram Patris, idest in bonis paternis posterioribus præ ceteris creaturis, idest in majori beatitudine, & habens judiciariam potestatem. Si vero ly *secundum quod* designet unitatem suppositi, sic etiam secundum quod homo, sedet ad dexteram Patris, secundum æqualitatem honoris, in quantum scilicet eodem honore veneramus ipsum Filium Dei cum natura assumpta, ut supra dictum est (quæst. xxv. art. 1.)

Ad primum ergo dicendum, quod humanitas Christi secundum conditiones sue naturæ non habet gloriam, vel honorem Deitatis, quam tamen habet ratione personæ cui unitur. Unde ibidem Damascenus subdit: *In qua, scilicet gloria Deitatis, Dei Filius existens ante sæcula, ut Deus, & Patri consubstantialis, sedes conglorificatus à carne eius: adora-*

tur enim una adoratione cum carne eius ab omni creatura.

Ad secundum dicendum, quod Christus, secundum quod homo, subiectus est Patri, prout ly *secundum quod* designat conditionem naturæ: & secundum hoc non competit ei sedere ad dexteram Patris, secundum rationem equalitatis, secundum quod est homo. Sic autem competit ei sedere ad dexteram Patris, secundum quod per hoc designatur excellentia beatitudinis, & judiciaria potestas super omnem creaturam.

Ad tertium dicendum, quod esse in æqualitate Patris non pertinet ad ipsam naturam humanam Christi, sed solum ad personam assumptam; sed esse in posterioribus bonis Dei, secundum quod importat excessum aliarum creaturarum, convenit etiam ipsi naturæ assumptæ.

ARTICULUS IV. 319

Utrum sedere ad dexteram Patris sit proprium Christi.

III. dist. xxii. quæst. 111. art. 4. quæst. 36

AD quartum sic proceditur. Videtur quod sedere ad dexteram Patris non sit proprium Christi. Dicit enim Apostolus Ephes. 11. 6. quod *Deus consuscipit nos, & con-sedere fecit in cælestibus in Christo Jhesu.* Sed resuscitari non est proprium Christi. Ergo etiam pari ratione nec sedere ad dexteram Dei in excelsis.

2. Præterea. Sicut Augustinus dicit in Lib. I. de Symbolo (cap. 19. ante med.) *Christum sedere ad dexteram Patris, hoc est habitare in eius beatitudine.* Sed hoc multis aliis convenit. Ergo videtur quod sedere ad dexteram Patris, non sit proprium Christi.

3. Præterea. Ipse dicit Apoc. 111. 21. *Qui videris, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno eius.* Sed per hoc sedet Christus ad dexteram Patris quod sedet in throno eius. Ergo etiam illi qui vincunt, sedent ad dexteram Patris.

4. Præterea. Matth. xx. 23. Dominus dicit: *Sedere ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.* Hoc autem frustra diceretur, nisi esset aliquibus paratum. Non ergo sedere ad dexteram convenit soli Christo.

Sed contra est quod dicitur ad Hebr. 1. 13. *Ad quem Angelorum dicit aliquando: Sede à dextris meis, idest in meis bonis posterioribus; vel mihi secundum Divinitatem æquali? quasi dicat, ad nullum. Sed Angeli sunt superiores aliis creaturis. Ergo multo magis nulli alii convenit sedere ad dexteram Patris quam Christo*

Rel

Joann. xvi. quod Spiritus Sanctus adveniens arguet mundum de iustitia, scilicet eorum qui credunt, ut Augustinus dicit super Joann. tract. xcv. ante med.) „ Ipsa quippe fidelium comparatio infidelium est vituperatio; unde subdit: Quia ad Patrem vado, & jam non videbitis me. Beati enim qui non vident, & credunt. Erit igitur vestra iustitia, de qua mundus arguetur, quoniam in me, quem non videbitis, crederitis. Secundo ad spei sublevationem. Unde ipse dicit Joan. xiv. 3. *Si abiero, & preparavero vobis locum, iterum veniam, & accipiam vos ad meipsum, ut ubi ego sum, & vos sitis.* Per hoc enim quod Christus humanam naturam assumptam in celo collocavit, dedit nobis spem illuc perveniendi: quia ubi fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquila, ut dicitur Matth. xxiv. 28. Unde & Mich. 11. 13. dicitur: (a) *Ascendit pandens iter ante vos.* Tertio ad erigendum caritatis affectum in caelestia. Unde dicit Apostolus Coloss. 111. 1. *Qua sursum sunt, quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens, qua sursum sunt, sapite non qua super terram.* Unde dicitur Matth. 21. 21. *Ubi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* Et quia Spiritus Sanctus est amor nos in caelestia rapiens, ideo Dominus dicit discipulis Joann. xvi. 7. *Expedit vobis ut ego vadam: si enim non abiero, Peracletus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos; quod exponens Augustinus super Joann. (tract. xciv. a med.) dicit, Non potestis capere Spiritum, quando secundum carnem nosse persisteritis, Christum. Christo autem descendente corporaliter, non solum Spiritus Sanctus, sed & Pater, & Filius illis assuit spiritaliter.*

Ad quartum dicendum, quod licet Christo resurgenti in vitam immortalem congrueret locus caelestis; tamen ascensionem distulit, ut veritas resurrectionis comprobaretur. Unde dicitur Act. 1. 2. *quod post passionem suam præbuit seipsum vivum discipulis in multis argumentis, per dies quadraginta: ubi dicit quædam Glossa (ordin.) quod quia per quadraginta horas mortuus fuerat, quadraginta diebus se vivere confirmat: vel per quadraginta dies (b) typus presentis seculi, quo Christus in Ecclesia convertatur, potest intelligi: vel quia homo constans ex quatuor elementis, eruditur contra transgressionem Decalogi.*

(a) *Vulgata ascendet. (b) Ita legendum censet Garcia cum quibusdam mss. & vetustioribus exemplis: quæ sequuntur communiter. Al. tempus.*

ARTICULUS II.

311

Utrum conveniat Christo ascendere in caelum secundum divinam naturam.

III. dist. xxiii. quest. 111. art. 1. ad 2. & episc. 11. cap. cclx.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod ascendere in caelum conveniat Christo secundum divinam naturam. Dicitur enim in Psalm. xlvii. 6. *Ascendit Deus in jubilatione: & Deut. xxxiii. 26. Ascensor cæli, auxiliator tuus.* Sed ista dicuntur de Deo etiam ante Christi Incarnationem. Ergo Christo convenit ascendere in caelum, secundum quod est Deus.

2. Præterea. Eiusdem est ascendere in caelum cuius est descendere de celo, secundum illud Joann. 111. 13. *Nemo ascendit in caelum, nisi qui de celo descendit: & Ephes. 1v. 10. Quis descendit, ipse est & qui ascendit.* Sed Christus descendit de celo, non secundum quod homo, sed secundum quod Deus: non enim humana ejus natura ante in celo fuerat, sed divina. Ergo videtur quod Christus ascendere in caelum, secundum quod Deus.

3. Præterea. Christus sua ascensione ascendit ad Patrem. Sed ad Patris æqualitatem non pervenit, secundum quod homo: sic enim dicit: *Pater major me est, ut habetur Joann. xv. 28.* Ergo videtur quod Christus ascendere, secundum quod Deus.

Sed contra est quod Ephes. 1v. super illud: *Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit?* dicit Glossa (ordin. Petri Lomb.) „ *Constat quod secundum humanitatem Christus descendit, & ascendit.*

Respondendo dicendum, quod ly *secundum* duo potest notare, scilicet conditionem ascendentis, & causam ascensionis. Et si quidem designet conditionem ascendentis, tunc ascendere non potest convenire Christo secundum conditionem divinæ naturæ: tum quia nihil est divinitate altius, quo possit ascendere: tum etiam quia ascensio est motus localis, qui divinæ naturæ non competit, quæ est immobilis, & inlocalis. Sed per hunc modum ascensio competit Christo secundum humanam naturam, quæ continetur loco, & motui subijci potest. Unde sub hoc sensu poterimus dicere, quod Christus ascendit in caelum, secundum quod homo, non secundum quod Deus. Si vero ly *secundum* designet causam ascensionis, cum Christus ex virtute divinitatis in caelum ascenderit, non autem ex virtute huma-

manæ naturæ; dicendum est quod Christus ascendit in caelum, non secundum quod homo, sed secundum quod Deus. Unde Augustinus dicit in serm. de Ascens. (111. in eo fitto, impl.) *De nostro fuit quod Filius Dei pependit in Cruce, sed de suo quod ascendit.*

Ad primum ergo dicendum, quod auctoritates illæ propheticæ dicuntur de Deo, secundum quod erat incarnandus.

Potest tamen dici, quod ascendere est non proprie convenit divinæ naturæ, potest tamen et metaphorice convenire, prout scilicet dicitur in cor hominis ascendere, quando cor hominis se subijcit, & humiliat Deo: & eodem modo metaphorice dicitur ascendere respectu cuiuslibet creature, ex eo quod eam subijcit sibi.

Ad secundum dicendum, quod ipse idem est qui ascendit, & qui descendit. Dicit enim Augustinus in lib. IV. de Symbol. (cap. vii.) *Quis est qui descendit? Deus homo. Quis est qui ascendit? Idem ipse Deus homo.* Descensus tamen duplex attribuitur Christo. Unus quidem, quo dicitur descendisse de celo: qui quidem attribuitur Deo homini, secundum quod est Deus: non enim est iste descensus intelligendus secundum motum localem, sed secundum exinanitionem, qua, cum in forma Dei esset, servi formam suscepit: sicut enim dicitur exinanitus, non ex eo quod suam plenitudinem amiserit, sed ex eo quod nostram parvitatem suscepit; ita dicitur descendisse de celo, non quod caelum deseruerit, quia naturam terrenam assumpsit in unitatem personæ. Alius autem est descensus, quo *ascendit in inferiores partes terre*, ut dicitur Ephes. 1v. qui quidem est descensus localis: unde competit Christo secundum conditionem humanæ naturæ.

Ad tertium dicendum, quod Christus dicitur ad Patrem ascendere, in quantum ascendit ad confessum patris dexteræ: quod quidem convenit Christo aliquoties secundum divinam naturam, aliquoties autem secundum humanam, secundum quod infra dicitur (quest. seq. art. 3.)

ARTICULUS II.

312

Utrum Christus ascenderit propria virtute.

Opusc. 11. cap. ccxxxvi. & episc. lx. cap. xxxiii.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod Christus non ascenderit propria virtute. Dicitur enim Marci ult. 19. *quod Dominus Jesus, postquam lectus est discipulis, assumptus est in caelum: & Act. 1. 9. dicitur: Videntibus illis elevatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Sed illud quo assumitur, & elevatur, ab alio

videtur moveri. Ergo Christus non propria virtute, sed aliena ferebatur in caelum.

2. Præterea. Corpus Christi fuit terrenum, sicut & corpora nostra. Corpori autem terreno contra naturam est ferri sursum: nullus autem motus est ex propria virtute ejus quod contra naturam movetur. Ergo Christus non ascendit propria virtute in caelum.

3. Præterea. Propria virtus Christi est virtus divina. Sed motus ille non videtur fuisse ex virtute divina: quia cum virtus divina sit infinita, motus ille fuisse in instanti; & sic non potuisset videntibus discipulis elevari in caelum, ut dicitur Act. 1. Ergo videtur quod Christus non ascenderit propria virtute.

Sed contra est quod dicitur Isai. lxxviii. 14. *Iste formosus in stola sua gradens in multitudinis fortitudinis sua.* Et Gregorius dicit in homil. Ascensionis (xxix. in Evang. circa med.) „ *Notandum est, quod Elias in curru legitur ascendisse, ut videlicet aperte demonstraretur, quia homo purus adjuvator indigebat alieno. Redemptor autem noster non curru, non Angelis fovebatur legitur: quia qui fecerat omnia, super omnia virtute sua ferebatur.*

Respondendo dicendum, quod in Christo est duplex natura, divina scilicet, & humana. Unde secundum utramque naturam potest accipi propria virtus ejus. Sed secundum humanam naturam potest accipi duplex virtus Christi: una quidem naturalis, quæ procedit ex principis naturæ, & tali virtute manifestum est quod Christus in caelum non ascendit: alia autem virtus in humana natura Christi est virtus gloriæ, secundum quam Christus in caelum ascendit.

Cujus quidem virtutis rationem quidam accipiunt ex natura quintæ essentię, quæ est lux, ut dicunt, quam ponunt esse de compositione humani corporis, & per eam elementa contraria conciliari in unum, ita quod in statu habitus mortalitatis natura elementaris in corporibus humanis dominatur; & ideo secundum naturam elementis prædominantis corpus humanum naturali virtute deorsum fertur: in statu autem gloriæ prædominabitur natura caelestis, per cuius inclinationem, & virtutem, Corpus Christi, & alia Sanctorum corpora feruntur in caelum. Sed de hac opinione, & in prima parte habitum est (quest. lxxvii. art. 7.) & infra magis agetur in tractatu de resurrectione communi (in Supplem. quæst. lxxxiv. art. 1.)

Hac autem opinione prætermissa, alii assignant rationem prædictæ virtutis ex parte anime gloriificate, ex cuius redundantia gloriificabitur corpus, ut Augustinus dicit ad Dioctorem (episc. cxviii. al. lvi. ante med.) *Erit enim tanta obedientia corporis gloriæ ad*

homo, sed solum secundum quod est Deus. Unde auctoritatem Joannis inducitur sic exponit: „Potestatem dedit ei iudicium facere: „Et postea subditur: „Quia filius hominis est, „nolite mirari hoc: non enim propterea „suscepit iudicium, quoniam homo est; sed „quia ineffabilis est Dei Filius, propterea „erant majora quam secundum hominem, „ideo hanc opinionem solvens dixit: Ne mihi „remini, quia filius hominis est: etenim „ipse est etiam Filius Dei. „Quod quidem „probat per resurrectionis effectum: unde subdit: „Quia venit hora in qua omnes qui in mundo „numcatis sunt, audient vocem Filii Dei.

Sciendum tamen, quod quamvis apud Deum remaneat primæva auctoritas iudicandi; hominibus tamen committitur à Deo iudicaria potestas respectu eorum qui eorum iurisdictioni subiunguntur. Unde dicitur Deuter. 1. 16. *Quod iustum est iudicate*: & postea subditur: *Quia Dei est iudicium*, cuius scilicet auctoritate vos iudicatis. Dicitur etiam supra quæst. viii. art. 1. & 3. quod Christus etiam in natura humana est caput totius Ecclesiæ, & quod sub pedibus eius Deus omnia subiecit. Unde ad eum pertinet, etiam secundum naturam humanam, habere iudicariam potestatem.

Propter quod Augustinus (tract. xix. in Joan. à med.) auctoritatem prædicam Evangelii sic dicit esse intelligendam: *Potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est*: non quidem propter conditionem naturæ, quia sic omnes homines huiusmodi potestatem haberent, ut Chryostomus objicit (loc. sup. cit.) sed hoc pertinet ad gratiam capitis, quam Christus in humana natura accepit.

Competit autem Christo hoc modo secundum humanam naturam iudicaria potestas propter tria. Primo quidem propter convenientiam, & affinitatem ipsius ad homines: sicut enim Deus per causas medias, tamquam propinquiores effectibus, operatur; ita iudicat per hominem Christum homines, ut sit suavius iudicium hominibus. Unde Apostolus dicit Heb. 1v. 15. *Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum per omnia pro similitudine abique peccato. Addeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ eius*. Secundo quia in finali iudicio, ut Augustinus dicit super Joan. (tract. xxiiii. ante med.) erit resurrectio corporum mortuorum, quæ subiecitabit Deus per filium hominis; sicut per eundem Christum suscitavit animas, in quantum est Filius Dei. Tertio quia, ut Augustinus dicit in Lib. de verbis Domini (sem. ult. cap. viii. à med.) *reclam erat ut iudicandi viderent iudicem. Iudicandi autem erant boni, & mali. Restabat ergo ut in iudicio*

forma, serui & boni, & mali ostenderetur; forma Dei solis boni seroventur.

Ad primum ergo dicendum, quod iudicium pertinet ad veritatem sicut ad regulam iudicii; sed ad hominem, qui est veritate imbutus, pertinet, secundum quod est unum quoddammodo cum ipsa veritate, quasi quædam lex, & quædam iustitia animata. Unde & ibidem Augustinus introducit quod dicitur I. Cor. 11. 15. *Spiritalis iudicat omnia*. Anima autem Christi præ ceteris creaturis magis fuit unita veritati, & magis ea repleta, secundum illud Joan. 1. 14. *Vidimus eum plenum gratia, & veritatis*. Et secundum hoc ad animam Christi maxime pertinet omnia iudicare.

Ad secundum dicendum, quod solus Dei est sui participatione animas beatas facere; sed adducere homines ad beatitudinem convenit Christo, in quantum est caput, & auctor salutis eorum, secundum illud Hebr. 11. 10. *Qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummari*.

Ad tertium dicendum, quod cognoscere occulta cordium, & diiudicare per se quidem pertinet ad solum Deum, sed ex reſtuentia Divinitatis ad animam Christi, convenit etiam ei cognoscere, & iudicare occulta cordium, ut supra dictum est, cum de scientia Christi ageretur (quæst. x. art. 2.) Et ideo dicitur Rom. 11. 16. *In die cum iudicabit Deus occulta hominum. . . . per Jesum Christum*.

ARTICULUS III. 322

Utrum Christus ex meritis adeptus fuerit iudicariam potestatem.

IV. dist. viii. quæst. 1. art. 1. & IV. con. cap. xc. princ. & opusc. 11. cap. cclxi.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod Christus non ex meritis fuerit adeptus iudicariam potestatem. Iudicaria enim potestas consequitur regiam dignitatem, secundum illud Proverb. xx. 8. *Rex qui sedet in solio iudicii, dissipat omne malum intuitu suo*. Sed regiam dignitatem Christus obtinuit absque meritis: competit enim ei ex hoc ipso quod est unigenitus Dei: dicitur enim Luc. 1. 32. *Dabit ei Dominus Deus sedem David patris eius, & regnabit in domo Jacob in æternum*. Ergo Christus iudicariam potestatem non obtinuit ex meritis.

2. Præterea. Sicut dictum est (art. præc.) iudicaria potestas competit Christo, in quantum est caput nostrum. Sed gratia capitis non competit Christo ex meritis, sed consequitur personalem unionem divinæ, & humanæ naturæ, secundum illud (Joan. 1. 14. *Vidimus*

glo-

gloriam eius, quasi unigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis: & de plenitudine eius nos omnes accepimus: quod pertinet ad rationem capitis. Ergo videtur quod Christus non habuerit ex meritis iudicariam potestatem.

3. Præterea. Apostolus dicit I. ad Corinth. 11. 15. *Spiritalis iudicat omnia*. Sed homo efficiatur spiritualis per gratiam, quæ non est ex meritis; alioquin jam non esset gratia, ut dicitur Rom. xi. 6. Ergo videtur quod iudicaria potestas non conveniat nec Christo, nec aliis ex meritis, sed ex sola gratia.

Sed contra est quod dicitur Job xxxvi. 17. *Causa tua quasi impii iudicata est: iudicium, causamque recipies*: & Augustinus dicit in Lib. de verbis Domini (sem. ult. cap. vii. cir. med.) *Sedebit iudex, qui stetit sub iudice; damnabit (a) veros reos, qui falso factus est reus*.

Respondendo dicendum, quod nihil prohibet unum, & idem debere alicui ex causis diversis; sicut gloria corporis resurgentis debita fuit Christo non solum propter congruentiam Divinitatis, & propter gloriam animæ, sed etiam ex merito humilitatis passionis. Et similiter dicendum est, quod iudicaria potestas homini Christo competit, & propter divinam personam, & propter plenitudinem gratiæ habitualis: & tamen etiam ex merito eam obtinuit, ut scilicet secundum Dei iustitiam iudex esset, qui pro Dei iustitia pugnavit, & vicit, & iniuste iudicatus est. Unde ipse dicit Apoc. 111. 21. *Ego steci, & sedi in throno Patris mei. In throno autem intelligitur iudicaria potestas, secundum illud Psal. 9. 5. *Sedit i iuxta thronum qui iudicavit iustitiam**.

Ad primum ergo dicendum, quod ratio illa procedit de iudicaria potestate, secundum quod debetur Christo ex ipsa unionem ad Verbum Dei.

Ad secundum dicendum, quod ratio illa procedit ex parte gratiæ capitis.

Ad tertium dicendum, quod ratio illa procedit ex parte gratiæ habitualis, quæ est perfecta anima Christi. Per hoc tamen quod his modis debetur Christo iudicaria potestas, non excluditur quin debeat ex merito.

ARTICULUS IV. 323

Utrum Christo conveniat iudicaria potestas quantum ad omnes res humanas.

Quol. x. art. 2. cor.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod ad Christum non pertinet iudicaria potestas quantum ad omnes res humanas. Ut

S. Thom. Oper. Tom. V.

(a) Ita cum nls. Nicolajus. Al. vere, iteq. vero.

enim legitur Luc. xii. 13. cum quidam de turba Christo diceret, *Dic fratri meo ut dividat mecum hereditatem*, ille respondit: *Homo, quis me constituit iudicem, aut divisorem super vos?* Non ergo habet iudicium super omnes res humanas.

2. Præterea. Nullus habet iudicium nisi super ea quæ sunt sibi subiecta. Sed Christum nondum videmus omnia esse subiecta, ut dicitur Heb. 11. Ergo videtur quod Christus non habeat super omnes res humanas iudicium.

3. Præterea. Augustinus dicit XX. de civitate Dei (cap. 11. circ. medi) quod ad iudicium alicuius pertinet hoc quod interdum boni affliguntur in hoc mundo, & interdum prosperantur, & similiter mali. Sed hoc fuit etiam ante Christi incarnationem. Ergo non omnia iudicia Dei circa res humanas pertinent ad iudicariam potestatem Christi.

Sed contra est quod dicitur Joan. v. 22. *Pater omni iudicium dedit Filio*.

Respondendo dicendum, quod, si de Christo loquamur secundum divinam naturam, manifestum est quod omne iudicium Patris pertinet ad Filium: sicut enim Pater facit omnia Verbo suo, ita etiam Filius iudicat Verbo suo. Si vero loquamur de Christo secundum naturam humanam, sic etiam manifestum est quod omnes res humanæ subduntur eius iudicio. Et hoc manifestum est primo quidem, si consideremus habitudinem animæ Christi ad Verbum Dei: si enim spiritualis iudicat omnia, ut dicitur I. ad Corinth. 11. 15. in quantum mens eius Verbo Dei inheret, multo magis anima Christi, quæ est plena veritate Verbi Dei, super omnia iudicium habet.

Secundo apparet idem ex merito mortis eius: quia, ut dicit Rom. xiv. 9. *in hoc Christus mortuus est, & resurrexit, ut vivorum, & mortuorum dominaretur*. Et ideo super omnes habet iudicium: propter quod, & Apostolus ibi subdit, quod omnes stabimus ante Tribunal Christi: & Dan. vii. 14. dicitur, quod dedit ei potestatem, & honorem, & regnum: & omnes populi, tribus, & lingua servient ei.

Tertio apparet idem ex comparatione rerum humanarum ad finem humanæ salutis. Cuiuscumque enim committitur principale, committitur, & accessorium. Omnes autem res humanæ ordinantur in finem beatitudinis, quæ est salus æterna: ad quam homines admittuntur, vel à qua etiam repelluntur iudicio Christi, ut patet Matth. xxv. Et ideo manifestum est, quod ad iudicariam potestatem Christi pertinent omnes res humanæ.

Ss

Ad

Ad primum ergo dicendum, quod, sicut dictum est (art. præc. arg. 1.) iudiciaria potestas consequitur regiam dignitatem. Christus autem, quamvis esset Rex constitutus à Deo, non tamen in terris vivens terrenum regnum temporaliter administrare voluit: unde ipse dicit Joan. xv. 1. 36. *Regnum meum non est de hoc mundo.* Similiter etiam iudiciariam potestatem exercere noluit super res temporales, qui venerat homines ad divina transferre. Unde Ambrosius (in hunc loc. Luca) ibidem dicit: *Bene terrena declinat qui propter divina descendit; nec iudex dignatur esse terrenum, & arbitri facultatem, vivorum habens, mortuorumque iudicium, arbitriumque meritum.*

Ad secundum dicendum, quod Christo sunt omnia subiecta quantum ad potestatem, quam à Patre super omnia accepit, secundum illud, Matth. ult. 18. *Data est mihi omnis potestas in celo, & in terra;* nondum tamen sunt omnia ei subiecta quantum ad executionem suæ potestatis: quod quidem erit in futuro, quando de omnibus voluntatem suam adimplebit, quosdam quidem salvando, quosdam autem puniendo.

Ad tertium dicendum, quod ante incarnationem huiusmodi iudicia exercebantur per Christum, in quantum Dei Verbum est; cuius potestatis facta est participes per incarnationem anima ei personaliter unita.

ARTICULUS V.

324

Utrum post iudicium quod agit in presenti tempore, restet aliud iudicium.

IV. dist. XLVII. quest. 1. art. 1. quest. 1, & IV. cont. cap. xcv. & opusc. 11. cap. cclxix. & opusc. x. cap. xxvii. & Ija. xxx. lect. 3. princ.

AD quintum sic proceditur. Videtur quod post iudicium quod in presenti tempore agit, non restet aliud iudicium generale. Post ultimam enim retributionem præmiorum, & poenarum frustra adhibetur iudicium. Sed in hoc presenti tempore fit retributio præmiorum, & poenarum: dixit enim Dominus latroni in cruce, Luca xxii. 43. *Hodie mecum eris in paradiso;* & Luc. xvi. 22. dicitur, quod mortuus est dives, & sepultus est in inferno. Ergo frustra expectatur finale iudicium.

2. Præterea, Nahum 1.9. dicitur secundum aliam litteram (LXX. Interp.) (a) *Non iudicabit Deus bis in idipsum.* Sed in hoc tempore Dei iudicium exercetur, & quantum ad temporalia, & quantum ad spiritalia. Ergo videtur

(a) *Fulgata: Non confurget duplex tribulatio.*

quod non sit expectandum aliud finale iudicium.

3. Præterea, Præmium, & poena respondent merito, & demerito. Sed meritum, & demeritum non pertinent ad corpus, nisi in quantum est animæ instrumentum. Ergo nec præmium, seu poena debetur corpori, nisi propter animam. Non ergo requiritur aliud iudicium in fine, ad hoc quod homo præmiatur, aut puniatur in corpore, præter illud quo nunc puniuntur, aut præmiuntur animæ.

Sed contra est quod dicitur Joan. xii. 48. *Sermo, quem locutus sum, ille iudicabit eum in novissimo die.* Erat ergo quoddam iudicium in novissimo die, præter iudicium quod non agit.

Respondeo dicendum, quod iudicium de aliqua re mutabili perfecte dari non potest ante ejus consummationem: sicut iudicium de aliqua actione, qualis sit perfecte dari non potest, antequam sit consummata, & in se, & in suis effectibus: quia multæ actiones videntur esse utiles, quæ ex effectibus demonstrantur nocivæ: & similiter de homine aliquo iudicium perfecte dari non potest, quoad ejus vita terminatur, eo quod multipliciter potest mutari de bono in malum, aut e converso, vel de bono in melius, aut de malo in pejus. Unde Apostolus dicit Hebr. ix. 27. *quod hominibus statutum est semel mori; post hoc autem iudicium.* Secundum tamen, quod, licet per mortem vita hominis temporalis terminetur secundum se, remanet tamen ex futuris secundum quid dependens. Uno quidem modo, secundum quod adhuc vivit in memoriis hominum, in quibus quandoque contra veritatem remanet bone famæ, vel malæ. Alio modo in filiis, qui sunt quasi aliquid patris, secundum illud Eccl. xxx. 4. *Mortuus est pater ejus, & quasi non est mortuus, similes enim reliquit sibi post se:* & tamen multorum bonorum sunt mali filii, & e converso. Tertio modo quantum ad effectum suorum operum; sicut ex deceptione Arij, & aliorum seductorum pullulat infidelitas usque ad finem mundi, & usque tunc proficit fides ex prædicatione Apostolorum. Quarto modo quantum ad corpus, quod quandoque honorifice traditur sepulture, quandoque vero relinquatur insepultum, & tandem in cinerem omnino resolvitur. Quinto modo quantum ad ea in quibus homo suum affectum dehit, puta in quibuscumque temporalibus rebus, quarum quedam citius finiuntur, quedam diutius durant. Omnia autem hæc subduntur existimationi iudicii divini. Et ideo de his omnibus perfectum, & manifestum iudicium haberi non potest, quamdiu huius temporis cursus durat. Et propter hoc oportet esse finale iudicium in novissimo die, in quo per-

fecte id quod ad unumquemque hominem pertinet quocumque modo, perfecte, & manifeste iudicetur.

Ad primum ergo dicendum, quod opinio quorundam fuit, quod animæ Sanctorum non præmiuntur in celo, nec animæ damnatorum puniuntur in inferno usque ad diem iudicii: quod quidem apparet esse falsum ex hoc quod Apostolus II. ad Corinth. v. 8. dicit: *Audemus, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & presentes esse ad Dominum: quod est jam non ambulare per fidem, sed per speciem, ut patet ex his quæ subsequuntur.* Hoc autem est videre Deum per essentiam, in quo consistit vita æterna, ut patet Joan. xvii. Unde manifestum est animas à corporibus preparatas esse in vita æterna. Et ideo dicendum est, quod post mortem, quantum ad ea quæ sunt animæ, homo sortitur quandam immutabilem statum: & ideo quantum ad præmium anime non oportet ulterius differri iudicium. Sed, quia quedam alia sunt ad hominem pertinentia, quæ toto temporis cursu aguntur, quæ non sunt aliena à divino iudicio, oportet iterum in fine temporis omnia hæc in iudicium adduci. Licet enim homo secundum hæc non mereatur, neque demereatur; tamen pertinent ad aliquod ejus præmium, vel poenam. Unde oportet hæc omnia æstimari in finali iudicio.

Ad secundum dicendum, quod Deus non iudicabit bis in idipsum, id est secundum identem sed secundum diversa non est inconveniens Deum bis iudicare.

Ad tertium dicendum, quod, licet præmium, vel poena corporalis dependat ex præmio, vel poena animæ; tamen, quia anima non est mutabilis nisi per accidens, propter corpus, statim separata à corpore habet statum immutabilem, & accipit suum iudicium. Sed corpus remanet mutabilitatis subiectum usque ad finem temporis; & ideo oportet quod tunc recipiat suum præmium, vel poenam in finali iudicio.

ARTICULUS VI.

325

Utrum iudiciaria potestas Christi se extendat ad Angelos.

AD sextum sic proceditur. Videtur quod potestas Christi iudiciaria non se extendat ad Angelos. Angeli enim tam boni, quam mali iudicati sunt à principio mundi, quando quibusdam cadentibus per peccatum, alii sunt in beatitudine confirmati. Sed illi qui iudicati sunt, non indigent iterum iudicari. Ergo potestas iudiciaria Christi non se extendit ad Angelos.

2. Præterea, Non est eisdem iudicare, & S. Th. Op. Tom. V.

iudicari. Sed Angeli venient cum Christo iudicari, secundum illud Matth. xx. 31. *Cum venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli cum eo.* Ergo videtur quod Angeli non sunt iudicandi à Christo.

3. Præterea, Angeli sunt superiores aliis creaturis. Si ergo Christus est iudex non solum hominum, sed etiam Angelorum, pari ratione erit iudex omnium creaturarum: quod videtur esse falsum, cum hoc sit proprium providentiæ Dei: unde dicitur Job xxx. iv. 13. *Quem constituit alium super terram, aut quem posuit super orbem quem fabricatus est?* Non ergo Christus est iudex Angelorum.

Sed contra est quod Apostolus dicit I. Corinth. vi. 3. *An nescitis quantum Angelos iudicabimus?* Sed Sancti non iudicabunt nisi auctoritate Christi. Ergo multo magis Christus habet iudiciariam potestatem super Angelos.

Respondeo dicendum, quod Angeli sunt iudiciaria potestati Christi non solum quantum ad divinam naturam, prout est Verbum Dei, sed etiam ratione humanæ naturæ. Quod patet ex tribus. Primo quidem ex propinquitate naturæ assumptæ ad Deum: quia, ut dicitur Hebr. 11. 16. *in quantum Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.* Et ideo anima Christi magis est repleta virtute Verbi Dei quam aliquis Angelorum: unde, & Angeli illuminati, sicut Dionysius dicit vii. cap. cælest. Hierar. (à med.) unde, & de eis habet iudicare. Secundo, quia per humanitatem passionis humana natura in Christo meruit exaltari super Angelos; ita, sicut dicitur Philipp. 11. 10. *ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum.* Et ideo Christus habet iudiciariam potestatem etiam super omnes Angelos, & bonos, & malos: in cuius signum dicitur Apocal. vii. 11. *quod omnes Angeli stabant in circuitu throni.* Tertio ratione eorum quæ circa homines operantur, quorum Christus speciali quodam modo est caput. Unde dicitur Hebr. 1. 14. *Omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capient salutis.* Subiungunt autem iudicio Christi uno quidem modo quantum ad dispensationem eorum quæ per ipsos aguntur; quæ quidem dispensatio fit etiam per hominem Christum, cui Angeli ministrabant, ut dicitur Matth. 14. & à quo demones petebant ut in porcos mitterentur, ut dicitur, Matth. vii. Secundo, quantum ad alia accidentalia præmia bonorum Angelorum, quæ sunt gaudia, quæ habent de salute hominum, secundum illud Luc. xv. 10. *Gaudium coram Angelis Dei super uno peccatore penitentem agente, & etiam quantum ad poenas accidentales demonum,*

quibus quotientur vel hic, vel recluduntur in inferno: & hoc etiam pertinet ad hominem Christum. Unde Mar. 1. 24. dicitur, quod demon clamavit. *Quid nobis, & tibi, Jesu Nazarenus? venisti (a) ante tempus perdere nos.* Tertio quantum ad præmium essentiale honorum Angelorum, quod est beatitudo æterna, & quantum ad penam essentialem Angelorum malorum, quæ est damnatio æterna. Sed hoc factum est per Christum, in quantum est Verbum Dei, à principio mundi.

Ad primum ergo dicendum, quod ratio illa procedit de iudicio quantum ad præmium essentiale, & penam principalem.

Ad secundum dicendum, quod, sicut dicit Augustinus in Lib. de vera relig. (cap. xxxi. à med.) *licet spiritualis iudicet omnia, tamen iudicatur ab ipsa veritate.* Et ideo licet Angeli, ex eo quod sunt spirituales, iudicentur iudicantur tamen à Christo, in quantum est veritas.

Ad tertium dicendum, quod Christus habet iudicium non solum super Angelos, sed etiam super administrationem totius creaturæ. Si enim, ut Augustinus dicit in III. de Trinit. (cap. v.) *in se intra quodam ordine reguntur à Deo per suaveria,* oportet dicere, quod omnia reguntur per animam Christi, quæ est supra omnem creaturam. Unde, & Apostolus dicit Hebr. 1. 5. *Non enim Angelis subiecit Deus orbem terre (b) futurum, scilicet subiectum ei, de quo loquimur, id est Christum.* Nec tamen propter hoc animam constituit Deus super terram: quia unus, & idem est Deus, & homo, Dominus Jesus Christus. De cuius incarnationis mysterio ad præsentia dicta sufficiant.

QUÆSTIO LX.

De Sacramentis,

in octo articulis divisa.

Post considerationem eorum, quæ pertinent ad mysteria Verbi incarnati, considerandum est de Ecclesiæ Sacramentis, quæ ab ipso Verbo incarnato efficaciam habent: & prima consideratio erit de sacramentis in communi; secunda de unoquoque sacramentorum in specialia.

Circa primum quinque consideranda sunt. Primo, quid sit sacramentum. Secundo, de necessitate sacramentorum. Tertio, de effectibus sacramentorum. Quarto, de causa eorum. Quinto, de numero.

Circa primum queruntur octo.

(a) In Vulgata deest ante tempus (b) Ita cum mss. posterioribus edivi passim. Edit. Patru. Garciam sequentes, qui Apostoli verbo præfatus inscribit, sit; futurum, de quo loquimur, subiectum ei, id est Christo.

Primo, utrum sacramentum sit in genere signi.

Secundo, utrum omne signum rei sacræ sit sacramentum.

Tertio, utrum sacramentum sit signum unius rei tantum, vel plurium.

Quarto, utrum sacramentum sit signum, quod est res sensibilis.

Quinto, utrum ad sacramentum requiratur determinata res sensibilis.

Sexto, utrum ad sacramentum requiratur significatio, quæ est per verba.

Septimo, utrum requirantur determinata verba.

Octavo, utrum illis verbis possit aliquid addi, vel subtrahi.

ARTICULUS I. 326

Utrum sacramentum sit in genere signi.

IV. dist. 1. quæst. 1. art. 1. quæst. 1. & art. 3. ad 1. & art. 4. quæst. 1. ad 1.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod sacramentum non sit in genere signi. Videtur enim sacramentum dici à sacramento, sicut medicamentum à medicando. Sed hoc magis videtur pertinere ad rationem causæ quam ad rationem signi. Ergo sacramentum magis est in genere causæ quam in genere signi.

2. Præterea. Sacramentum videtur aliquid occultum significare, secundum illud Tob. xii. 7. *Sacramentum Regis abscondere bonum est: & Ephel. 1. 9. Quæ sit dispensatio sacramenti abscondit à seculis in Deo.* Sed illud quod est absconditum, videtur esse contra rationem signi: nam signum est quod præter speciem quædam ingerit sensibus, facit aliquid aliud in cognitionem venire, ut patet per Augustinum in II. de doctr. christi. (in princ.) Ergo videtur quod sacramentum non sit in genere signi.

3. Præterea. Juramentum quandoque sacramentum nominatur: dicitur enim in Decr. xxi. quæst. vi. (cap. xiv.) *Parvuli, qui sine ætate rationabili sunt, non coguntur jurare: & qui semel perjuratus fuerit, nec testis sit post hoc, nec ad sacramentum, id est juramentum, accedat.* Sed juramentum non pertinet ad rationem signi. Ergo videtur quod sacramentum non sit in genere signi.

Sed contra est, quod Augustinus dicit in X. de civitate Dei (cap. v. parum à princ.) *Sacramentum visibile invisibilis sacrificii sacramentum, id est sacrum signum est.*

Ref-

ARTICULUS II. 327

Utrum omne signum rei sacræ sit sacramentum.

Infr. quæst. LXIV. art. 1. & 1. 2. quæst. c1. art. 4. corp. & quæst. c11. art. 5. cor. & 17. dist. 1. quæst. 1. art. 1. quæst. 1.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod non omne signum rei sacræ sit sacramentum. Omnes enim creaturæ sensibiles sunt signa rerum sacrarum, secundum illud Rom. 1. 20. *Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: nec tamen omnes res sensibiles possunt dici sacramenta.* Non ergo omne signum rei sacræ est sacramentum.

2. Præterea. Omnia quæ in veteri lege fiebant, Christus figurabant, qui est *Sanctus sanctorum*, secundum illud I. ad Corinth. x. 11. *Omnia in figura contingebant illis: & Col. 11. 17. Quæ sunt umbra futurorum, corpus autem Christi; nec tamen omnia gesta patrum veteris Testamenti, vel etiam omnes cæremonie legis sunt sacramenta, sed quædam specialiter, sicut in secunda parte habitum est (1. 2. quæst. c1. art. 4.) Ergo videtur quod non omne signum rei sacræ sit sacramentum.*

3. Præterea. Etiam in novo Testamento multa geruntur in signum alicujus rei sacræ, quæ tamen non dicuntur sacramenta, sicut aspersio aquæ benedictæ, consecratio altaris, & similia. Non ergo omne signum rei sacræ est sacramentum.

Sed contra est quod definitio convertitur cum definito. Sed quidam definiunt sacramentum per hoc, quod est *sacra rei signum*: & hoc etiam videtur ex auctoritate Augustini supra inducta (art. præc. in arg. Sed cont.) Ergo videtur, quod omne signum rei sacræ sit sacramentum.

Respondeo dicendum, quod signa proprie dantur hominibus, quorum est per nota ad ignota pervenire. Et ideo proprie dicitur sacramentum, quod est signum alicujus rei sacræ ad homines pertinentis; ut scilicet proprie dicatur sacramentum, secundum quod nunc de sacramentis loquimur, quod est *signum rei sacræ in quantum est sanctificans homines.*

Ad primum ergo dicendum, quod creaturæ sensibiles significant aliquid sacrum, scilicet sapientiam, & bonitatem divinam, in quantum sunt in seipsis sacra, non autem in quantum nos per ea sanctificamur: & ideo non possunt dici sacramenta, secundum quod nunc loquimur de sacramentis.

Ad secundum dicendum, quod quædam ad vetus Testamentum pertinentia significant sancti-